

De Dracontio Catulli imitatore.

Carmina Catulli inde a Gellii temporibus paulatim in oblivionem venisse eaque per multa saecula obruta fuisse praeter alios viros doctos nuper Riese pro certo affirmare non dubitavit. Nuperrime autem Ludov. Schwabius, 'ut omnis antiqua Catulli memoria in suo libello comprehenderetur, indicem locorum, quibus scriptores alii Catullum nominaverunt aut eius versus citaverunt,' p. VII sqq. confecit enotavitque complurium scriptorum locos quos multo post Gellium vixisse constat. Attamen aliud est locum poetae afferre, aliud carmina eiusdem re vera legisse et ab ipso versus sumpsisse. Etenim si Catulli locos quos Schwabius enumeravit deinceps percensemus, versus Catulli 1, 1, quem Ausonius bis usurpavit, iam apud Terentianum Maurum occurrit omninoque ex Schwabii commentario intellegas velim, quotiens hic ipse versus una cum proximis citentur, ut persuasum habeas neminem fere ex Catullo ipso, sed aliunde descripsisse. Hieronymus Suetonio auctore usus est. Augustinus versum 4, 1 a Terentiano Mauro petivit. Boethius versum 52, 2 a multis metricis mutuari potuit. Priscianus vv. 37, 17 et 4, 25 Capro et Diomedii debet, itaque dubitari vix potest quin etiam reliquos ex simili fonte hauserit. Isidorus apud veterem auctorem versum 64, 65 invenit, quem falso aut auctor aut ipse Cinnae attribuit. Similiter ad Iulianum Toletanum pervenit notitia loci Catull. 5, 4. Restant Macrobius et Martianus Capella, quos carmina 14 et 64 ante oculos habuisse verisimile est. Certum vero atque exploratum ne id quidem est, sed facile fieri potuit, ut hi quoque versus aliunde assumerent, quod de Capella quidem Riesius opinari videtur. Sed utut haec res

se habet, id non negabis Capellam et Macrobius centum fere annis ante Dracontium scripsisse, tum et Capellam Afrum fuisse et Macrobio, qui sermonem suum minus latinum excusat ('nos sub alio ortos caelo latinae linguae vena non adiuvat') eandem Africam patriam iam alios probabiliter assignavisse.

Dracontium autem aliquot Catulli carmina legisse ipsa negari non potest. Tales enim sunt hae imitationes quas afferam, ut aliunde deduci non potuerint. Neque enim solum singulos versus in usum suum ita convertit, ut singulas voces eodem ordine suis versibus insereret, verum etiam complures versus continuos in promptu habuit ita ut imitando etiam unum alterumve vocabulum ab exemplari suo mutuaretur. Atque comparandos censeo inter se hos versus:

Drac.¹ 2, 38 sqq. nec *natus matris* amator

Dulce nefas cupiat frater vitietque sororem

Privignoque suo *potiatur* blanda *noverca*.

Catull. 64, 402-sq. Liber ut innuptae *poteretur* flore *novercae*

Ignaro *mater* substernens se impia nato.

Drac. 5, 147 Verticis unde comam *vera pietate parentes*.

Catull. 67, 29 Egregium narras *mira pietate parentem*.

Drac. 7, 22 Vesticolae *niveos* peteret cum *virginis artus*.

Catull. 64, 364 Excipiet *niveos* percussae *virginis artus*.

Drac. 7, 28 sq. . . *tympana rauca puellae* | Percutiant *palmis* . . .

Catull. 64, 261 Plangebant *aliae proceris tympana palmis*.

Drac. 8, 352 sqq. (leo) . . . iam *verbera caudae*

Naribus *incutiens* spargit per colla per armos

Erecta *cervice iubas*, iam tenditur altus

Dentibus inlisis et pectus grande *remugit*,

Flumina tunc *resonant*, montes et lustra resultant.

similiter Catull. 63, 81 sqq.

Age caede terga *cauda*, tua *verbera* patere,

Fac cuncta *mugienti* fremitu loca retonent,

Rutilam ferox *torosa* *cervice* quate *iubam*.

Drac. 8, 576 Ingemit et *flavos* extorquet *vertice crines*.

Catull. 64, 350 Cum in cinerem *canos* solvent a *vertice crines*.

Drac. 9, 208 Hecuba maesta gemens et *canos pulvere foedans*.

Catull. 64, 224 *Canitiem* terra atque infuso *pulvere foedans*.

Drac. Satisf. 243 *Sol oculus caeli* *radians* fuscatur ab umbra.

Catull. 63, 39 Sed ubi oris aurei *Sol radiantibus oculis*.

Drac. Orest.² 264 Saucius et *tremulo* *quatiēbat corpore* terram.

Catull. 64, 305 . . . *infirmo quatiētes corpora* motu.

v. 307 His *corpus tremulum* . . .

Itaque temporibus Dracontii carmina Catulliana in oblivione non iacuerunt, sed legit ille in Africa, si nullum aliud, saltem epithalamium Thetidis.

Valcii (Deutsch-Krone).

B. Barwinski.

¹ Dracontii carmina minora ed. Frid. de Duhn. Lips. 1873.

² Baehrensiana editione utor (Poet. lat. min. vol. V p. 218—261).